London 1685 f.

HISTORIA DE GVMMA INDICA ANTEASTHMATICA, ANTEHYDROPICA, ET ANTEPODAGRICA.

Zaccharię à Puteo Feltrenſis Medici Phyſici, ac Academici Veneti,

Cui additur Diſceptatio.

An prædicta Gumma ſit liquor concretus alicuius ſtirpis lacticinoſæ, & eiuſdem Scamoneæ ſit ſpeciei, vel alicuius, a gumma arboris.
An MICCIOCAN, & SALAPA ſint harum Regionum Brioniæ.
An in hyſtericis affectibus odorata, nempè MVSCVM, & AMBRAM per os exhibere conueniant.

AD ALBERTVM STECCHINVM ad Inſigne Strutiocameli Pharmacopeum Eruditiſs.

SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, MDC. XXVIII.

Apud Ioſephum de Imbertis.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

ALBERTO STECCHINO COMPATRI, ET AMICO CARISSIMO.

ZACCHARIAS A' PVTHEO Medicus Phyſicus S. D.

QVAMVIS longa profectò (Cõpater Cariſsime) literarum intercapedo, ac ſilentium interpoſitum fuerit, nihilominus cõſueto amore te proſequutus sũ, ſicuti per antea faciebam, ideò ex hoc meo ſilentio multam fidem potius, quàm amoris mei defectum cognoſcere poteris, ſicuti illud idem à te prouenire minimè defido, & præcipuè mea ægritudo à qua ſuperioribus menſibus fui correptus, fuit in cauſa, quod libros, calamumque deſerere coactus fuiſſem, à qua demum (Deo largiente) ſubleuatus Hiſtoriam de Gumma Indica Anteaſthmatica, antehydropica, & antepodagrica, ac de ipſius facultatibus ex meis obſeruationibus per plures annos de ipſa habitis ſcripſi, quam tibi veluti amico inter alios cariſsimo trado, & di-

co, ſperans te ſolita tua illaritate eam ſuſcipere, ſicuti meas lucubrationes facere aſſueueras, & me conſueto tuo amore proſequi curabis; & quando Paulo tuo Filio dilecto, Iuueni omnium literarum genere verſatiſsimo nomini meo ſalutem dices, & fruſtulum prædictę gummę quamprimum mihi trades, pergratum mihi erit. Vale.

Feltria Idibus Auguſti. 1627.

Tuus Zaccharias à Putheo Med. Phy.

DE GVMMA INDICA

ANTHEASTHMATICA,

Antehydropica, & Antepodagrica.

HOC modò hanc Gummam nuncupo, & nomino, ob eius admirabiles facultates, quas poſſidet aduerſus aſthma, hydropes, atque podagram, quæ ex Indijs Occidiuis, et præcipuè ex Regno Perù profectò transuehitur; Crocei eſt coloris, et facillimè in aliquo liquore diſſoluitur ad gummæ arabicę ſimilitudinem, nihilominus non eſt adeò diaphana, & perlucida ueluti ipſa, ſed opatior, denſiorque reperitur; Omni odore, ac ſapore caret, & dum in ore detinetur, non auſtera, non acerba, non acida, non amara, nō ſalſa, non acris, ſed inſipida perſentitur, & ex ea ſaliua, prętérquā facillimè rrdditur craſſa; redditur quoque coloris oui recentis lutei. Ex quibus notis percipi poteſt in qualitatibus cùm calidis, tùm frigidis haud excedere, ſed illam temperatam exiſtere; Verumtamen, quando uerſus caliditatem declinare uideretur, primum caliditatis gradum eam excedere minime cenſeo.

Hac

Hæc Gumma maximopere prẽſtat aduerſus diſpnæam ortoponeam, & aſthma, mirabiliter ualet quinetiam aduerſus catharrum ad pectus fluentem, & anhelitus difficultatem adeò inducentem, vt ob id patientes ſuffocari viderentur, in quibus affectibus præſentaneas profectò ſuas facit operationes, & breui temporis curriculo patientes ab ijs ſubleuantur affectibus, ſicuti pluries expertus ſum, & equidẽ de hoc haberi potuiſsem teſtes, ſed ſequentes duo mihi ſufficient.

Magiſter Petrus Montibelluna ſarcinator, ætatis annorum 40. pallido, ac ſubcitrino colore, corporiſque habitu ferè cachẽtico propè forum commorans in vico portẽ aureẽ, qui ſuperioribus annis adeò anhellitus difficultate detinebatur, vt niſi recta ceruice perſiſtere cogeretur, cui in thorace tanta pituitæ portio aderat, quod profectò anhellando illud mouere, neque deprimere minimè ei concẽdebatur, & euidenter in mortis periculo ipſe incurrebat, cui tantummodò ex habitis granis xvi. præfatæ gummæ in vino infuſæ, ac diſſolutæ (ſicuti inferius notum faciam) ex qua, nondum tranſacta hora adeò inſignem quantitatem materiæ phlegmaticæ viſcidæ, craſſæ, ac lentæ crocei coloris vomuit, quæ profectò ferè totum thalami pauimentum conſpurcauit, & ex ventre quoque inſignem materiæ quantitatem deiecit, maxima cum conferentia, ac tolerantia, à quibus euacuationibus, adeò ſublenatus fuit, quòd eadem die eius ſuſcepto exercitio, ſuere incepit, cunctiſque fungebatur muneribus ſuis, & meliorem ſalutis ſtatum obtinuit, neque in po-

ſterum

ſterum amplius à tali anhellitus difficultate vexatus fuit.

Alter autem erat quidem Villicus, nomine Saluator de ſuſino lignorum inciſor, in ſuburbio Vineri ę cohabitans, qui aſthmate grauiſſimo adeò detinebatur, vt ſuffocationis periculum incurrere potuiſſet, cui ſimili modo grana xvi. eiuſdem gummæ propinaui, ex qua propinatione tale beneficiũ ſuſcepit, quòd trium, quatuorue dierum ſpacio (à cacochimia ſublenato eius corpore) eius ſalutem adeptus eſt, & ad præſens ſuo fungens miniſterio, omnimoda fruitur ſanitates.

De hac Gumma quoque multoties periculum feci aduerſus cachexiam, hydropem, non ſolum anaxarcam, verum etiam aſcitem, nam in hydrope tympanite non admodum ualere expertus ſum, cùm ipſa tantum modo valida ſit educere aquam, eliicereque materias ichoroſas ex abdomine, cruribus, pedibuſque ędematoſis, ac aliis corporis partibus remotis, atque longinquis in plurima quantitate, abſque patientum noxia, ac vlla moleſtia, Itaque aduerſus hos affectus prękantiſſimas, & ferè incredibiles facit operationes, & obteſtor Deum Opt. max. hoc medicamento quamplures cachexia, hydropeque correptos in hac ciuitate nõ ſolum, ſed alibi priſtinam eorum ſalutem conſequutos fuiſſe, & inter alios fuere infraſcriptos.

Primus itaque fuit Laurentius cognomento Canalottus de Villa flamminæ uocata, quatuor milliaria ab Vrbe, diſtante, ætatis annorum 34. incirca, qui ex præcedẽti longa ægritudine, prauaque victus ratione prægreſſa, & aquæ potus nimia indulgentia in hydropem aſcitem incidit, cum uẽtris,

crurum

crurum, tybiarum, ac pedum ingenti tumefactione, cum dolore graui in inguine, et in hypocundrijs maximè obſtructis, qui niſi duobus baculis innixus, maximaque cum difficultate incedere valebat, nihilominus in hoc miſerrimo ſtatu, ſalutem deſperans, vllum præſidium minime requirebat, cui fortuitò ſuperueniens, dùm e meo rure ciuitatē uerſus reuertebar, eoque in tali infelici ſtatu uiſo, compaſſione ductus, grana XVI. præfatæ gummæ infuſæ in vino, atque ſolutæ exhiberi, eique etiam præſcripta conuenienti victus ratione exiccante, omninòque interdicto aqua potu, abſque alio medicamento viginti, aut triginta dierum ſpatio (ob Dei infinitam clemētiam) priſtinam eius ſalutem obtinuit, & eius corpus in optimo pletoriæ ſtatu redactum, ac conſtitutum ad præſens perfectiſſima fruitur ſanitate, & ad pręſens meus Agricultor reperitur, & profectò vir fortis eſt, & paruæ pilæ inſignis luſor.

Alter verò eſt Ioannes tronuligna, cognomento de Arſomo ex Rure Velai ab Vrbe per mille paſſuum diſtante, qui hydrope aſcite pariter correptus fuerat, & ſuper aſinā tribus, quatuorque hominibus innixus, & adminiculatus ad domum meam ductus fuit, cuiu; corpus adeò tumidū, ac craſſum reperiebatur, quòd ęquidem doliolum cretenſe excedere videbatur, & eiuſdem ſcrotum adeò turgidum, & inflatum reperiebatur quod vaſsis inſignis magnitudinis pręſeferebat efigiem, & per lucidum erat, eiuſdemque pedes tibię, ac crura, taliter tumefacta reperiebantur, quòd hominis craſſitiem excedebant, Cui ſtatim à me conueniens

inſtituta

inſtituta fuit victus ratio, ſetoneque in ſcroto infixo, purgatoque pluries diligenter corpore, varijs ad id accommodatis præſidijs, & per ſex, pluresque vices prędictæ gummę doſi in vino, (vt moris eſt,) exhibita (opitulante Deo) trium, quatuorue menſium ſpatio perfectam eius ſalutem obtinuit. Cuius corpus ad præſens eſt temperaturę bilioſæ, & gracilis, & rurali incumbit miniſterio, fruens perfecta ſanitate.

Hæc Gumma quinetiam inſigniter valet aduerſus podagram, omneſque arthriticos, iſchiadicos, ac coxendicos dolores, & quamplures in hac Ciuitate vitam degunt, qui medio huius Gummę à grauiſſimis eorum morbis articularibus, atque podagricis ſubleuati fuere, & ex ea inſignia beneficia conſequuti ſunt, ſed quoniam maiori ex parte religioſi exiſtunt, eorum nomina ſcriptis tradere minimè licere cenſeo.

Gumma iſta è corporibus noſtris aquam, ſeroſum, ichoroſumque humorem ſolummodo educit, & euacuat, neque adhuc obſeruaui aliam materiam, craſſam, corpulentamque eduxiſſe.

Vlceribus cacohetis, phagadenicis, ac doloroſis maximopere opem ferre expertus ſum, ideò in pręſentia in hoc propoſitu hiſtoriam quandam referre minimè pręteribo; quoniam ſuperioribus annis, dùm Medicinę praxim in Alma Venetiarum Vrbe exercebam Vir quidam amicus meus, Sfortia de Renaldis nuncupatus, ad Illuſtriſsimum Aduocarię Magiſtratum Procuratoris officio fungens, qui cùm

ferè per quatuor menſes ex vlcere cacoheto, ac phagadoni-co cum dolore inſigni, ac grauiſſimo in tibia ex pluribus ad-hibitis preſidijs nullum beneficium percipiens cubile perſi-ſtere coactus fuiſſet, dùm ad eum accerſitus fui meum ipſe conſilium requirens, hęc protulit verba.

Non ritrouo remedio alcuno, che mi gioui per queſta mia piaga nella gamba, & benche ſia ſtato curato da peritiſsimi Ciroichi di queſta Città dal giorno di ſanta Lucia, ſino al preſente, che ſiamo vicini alla Paſqua di reſurrettione. Mi veggo diſperato di poter guarire, s'Iddio per ſua ſantiſsima miſericordia non mi ſoccorre, ma in breue dubito di laſciargli la vita per li eſtremi dolori, & cruciatti, ch'io patiſco, che tali, & tanti ſono, che mi traffigono ſino all'anima, non permettendo, che queſto miſero, & afflitto corpo riceuer poſsa ſonno, ne quiete alcuna; Perilche vorrei il ſuo parere, & conſiglio; poſcia che da vn marinaro (venuto queſti paſſati giorni di Leuante) mi vien ricordato, ch'io habbia da pigliare d'vna certa gomma di color naranzetto, che la chiamano gutta gamba, ò gomma gamba per apportar ella (come dicono) grandiſsimo beneficio alle gambe, ma non hauendo io di queſta cognitione alcuna, ne potendo ſapere quali poſſono eſſere le ſue operationi, & effetti, reſto molto perpleſſo, & con l'animo trauagliato, circa di quello, che io habbi da fare; à benche per il contra-

rio per

rio per liberarmi da tanta calamità, & miſeria mi riſoluerei di pigliare il veleno.

Quod cùm audiuiſſem bono, & hillari animo eſto amice cariſſime, quoniam nemo (vt ſcire poſſim) de hac re melius te conſulere poſſe arbitror; nam pluries aduerſus varios affectus (præcipuè frigidos) de tali gumma periculum feci: ideò cùm vlcus malignum, ac doloroſum te continuò excrutians ab humore atrabilari, melancholico, cum phlegmate ſalſo permiſto (iudicio æquidem meo) originem trahat, hęc gumma profectò tibi erit in auxilio, & maximo opere te adiuuare poterit, at quando nihil auxilij, ac beneficij ex ea ſuſcepturus ſis, ſaltem nocumentum vllum, neque læſionem percipies. Ex meo igitur conſilio ſequenti die matutino tempore ipſe ſumpſit in vino albo paucifero grana xij. præfatæ gummę per noctem infuſę, ac diſſolutæ, abſque alia colatura, qui poſtmodum ex ea pluries obtinuit ſedes ſeroſę, ac ſpumoſę materiæ in quantitate ferè vnius canthari, & tale beneficium ſuſcepit, quòd ille, qui per plures menſes cum ingentibus doloribus thoro perſiſtere coactus fuerat, ſtatim ex eo proſiluit, eumque ad menſam gaudio plenum, ac maximopere lętum, abſqne vllo dolore comendentem, Omnipotentique Deo gratias agentem repertus ſum. Cuius poſtmodum (debitis interpoſitis temporibus) iterum, atque iterum cum prędicta gumma purgato, ac repurgato corpore, ipſiusque ſublata cacochimia, doloreque penitus ſedato, alijsque præſidijs topicis adhibitis, breui temporis curſu vlcus facillimè deinde curationem ſuſcepit, & amicus noſter pri-

ſter priſtinam eius ſalutem conſequutus eſt.

Neminem, tùm ex priſcis, tùm ex neotericis Authoribus de hàc gumma tractantem, vſque adhuc adinueni, prę ter Nicolaum Monardes Siuilię Medicum, qui in ſecunda parte in ſuos diſtincta libros rerũ, quę ad vſum Medicinę ſpectant ex inſulis occidiuis tranſuehuntur Cap. 1. fol. 459. & 462. breui verborum curſu, & quaſi per tranſcenam quædam pauca de ipſa ſcripſit, cuius verba hic referre minimè grauabor, quę ſequentia ſunt.

Poſtquam ſcripſi quantum ſuperius conſtat, in hoc portu duo nauigia (Flotæ vocati) acceſſère, vna ex terra firma Perù, & alia ex noua Hiſpania; In ea terrę firmę Perù Carthagenię Epiſcopus veniebat, vir profectò religioſiſſimus, doctus & harum rerum valde curioſus, qui ſtatim accerſitus de hac materia herbaria me requiſiuit (quoniam ipſe ob librum à me ęditum de me bene affectus erat.) Ad eum perueni, & cùm de varijs rebus, plantis, atque ſtirpibus, quę in eius Diocęſi reperiuntur verba fecerimus, ſermo noſter cecidit circa tractationem ſanguinis draconis, qui finiſsimus, ac perfectiſſimus ex eis regionibus extrahitur.

Prætermiſsis itaque (breuitatis gratia) pluribus verbis, de ipſo ſanguine draconis tractantibus, minimèque ad propoſitum de hac gũma facientibus, ipſe Monardes fol. 462. ſubiunxit.

Prę ſul pręfatus quandam mihi tradidit gummam, quę ex terra firma Perù extrahitur, cum qua in illis partibus purgan-

purgantur podagrici. Tantam enim illius gummæ portionem ponunt in aqua ſtillatitia quantum eſt anellana, & per noctem integram in infuſione ſtare permittunt, & mane eam excollant, & exprimunt, & aquam illam, quam ad pondus duarum vnciarum eſſe poteſt ſuſcipiunt, & abſque cibo ad meridiem vſque perſiſtunt, cum qua humorem purgant ipſam podagram efficientem. Obſeruaui quinetiam, quod quidam Eques, qui in ea flota pariter acceſſerat ea vtebatur gumma, qui cùm podagricus fuiſset eam pro ſuę ęgritudinis remedio ſecum ferrebat, ex cuius vſu rectè ſe habet, neque ad præſens à podagra adeò ſolicitatur, ſicuti per antea ſolicitari aſſueuerat, quoniam frequenter, ac ſæuiter vexabatur. Mihi de hac gumma tradidit quantùm eſt vnica auellana, quoniam de ipſam maiorem quantitatem mihi tradere noluit, quam ordine prædicto cuidam podagrico exhibui, ex qua habuit tres ſedes. Neſcio quid in poſterum ſuccedet, quoniam vt vlterius de ea periculum facere poſsimus, ac eam experiri valeamus, ipſius maiorem quantitatem habere neceſſarium foret; Verum ab alijs tranſuehi poterit, ſicuti multa alia tranſportata fuere. Dùm ſummitur bonum perſentitur habere ſaporem, quoniam odere, ac ſapore caret, & ſuas facit operationes abſque moleſtia. Calida eſt (vt mihi videtur) in primo gradu. Ignoro arboris eam producentis conditiònẽm, quoniam pariter eiuſdem lator eam ignorat, neque agnoſcit.

Hactenus Monardes.

In febribus, neque in alijs affectibus, in quibus non eſt

opus

opus ſeroſam, ac ichoroſam materiam educere hac vti gumma mihi minimè arridet; Nam aliquando cum in quodam Iuuene Belga temperaturæ bilioſæ, corporeque gracili Eryſipelate in dextra tibia detento, abſque febre (ſuperiori ductus exemplo) de ea periculum facere auſus fui, non ſolum Belga ille, tunc temporis ex ea beneficium minimè ſuſcepit, immo potius ingens damnum ei contingit; nam in tibia eryſipelate affecta maiorem inflammationem ipſe contraxit, & febris ei ſuperuenit; adeò quod illius refrigerare corpus, eumque purgare iterum opus fuit, tùm ſectione venę iecorarię dextri brachij (ſeruata rectitudine) cùm flore caſsiæ, cichoratijs, ac ſero caprillo depurato, atque frigida, & conuenienti victus ratione adhibita, breui temporis curſu præualuit, & iudicatus fuit liber omnino ab ipſa febre.

Ipſius gummæ doſis erit à granis viij. ad x. in pueris, delicatis, ac natura imbecillioribus, in robuſtis verò, virtuteque valentibus à granis xij. vſque ad xvi. & ad xviij. præcipuè quando eſt vetuſta, quoniam multum de eius virtute (dùm talis reperitur) amittit, & imbecillior euadit, & tunc temporis minus operantur grana xvi. & xviij. quàm xii. illius quando recens reperitur, pro vt obſeruaui.

Quæ quidem gumma in puluerem craſsiuſculum redacta in infuſione vnciarum quatuor, vel quinque vini albi maturi oligophori, ac odoriferi per integram noctem perſiſtere debet (ſicuti ſemper obſeruaui) maneque ſequenti tempeſtiuè

peſtiuè hoc uinum colatum cum expreſſione, vel ſine, cali-duſculum per quinque horas ante cibum patienti pro-pinandum, ſomnusque ei per totam diem interdicendus erit.

Neque hanc gummã, prẹterquã in vino tradendam eſſe arbitror, quoniam cum ipſo exhibita mirificè operatur, ſicuti experientia me docuit, Nam cùm in aliqua nobili, ac delitio-ſa muliere, quæ ieiuno ſtomacho vinum ſuſcipere reſpue-bat, hanc gummam in iure pullæ iunioris tradere coactus fuiſſem tranſacto modico temporis curriculo, ei ingentes, non ſolum ſtomachi, verum etiam inteſtinorum contigere dolo-res, itaque, me conſulente, vomitorio ſuſcepto, cum oleo amygdalarum dulciũ ſyrupo roſato, unà cum raphani deco-cto, vomituque procurato, dolores omninò remiſsi fuere, & occaſione data, eam vino infuſam, ac diſſolutam iterum propinaui, ex qua tunc temporis abſque ulla noxia, ac mole-ſtia maximum beneficium ſuſcepit.

Anno Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo nono, dùm in Auſtria inferiori in Ciuitate Grætii reperiebar à quodam Illuſtriſsimo Barrone ex Aula Principis à ſecretis, qui pau-lò antea cum aliis Proceribus, ac Nobilibus ex Hiſpania re-greſſus fuerat fruſtulum prædictæ gummæ dono habui; quã veram gummam cuiuſdam arboris ex Indiis occidiuis in Hiſpania translatam exiſtere aſſeueranter dicebat: Quod quidem fruſtulum (tribus, quatuorve annis tranſactis) in Pharmacopœa Domini Euſtachii Nomicò Aromatarij ad inſigne Agni Dei Venetijs cum alio fruſtulo eiuſdem

gummæ

gummę manibus meis tradito à Tabellario Vrbis Auguſtæ comparaui, qui tabellarius à quibuſdam viris principalioribus illius Vrbis commiſſionem habuiſſe aſſerebat emendi de tali gumma pretio auri, & etiam ille affirmabat illam eſſe realiter gummam ex quadam arbore, & ex Indijs occidiuis deferri; At quoniam de tali gumma eo tempore Venetijs minimè reperiebatur, & ſicuti affirmabat prædictus Dominus Euſtachius neminem reperiri in illa Ciuitate, qui per antea eam vidiſſet, quapropter Tabellarius talem gummam emere deſperans, diſceſſit. Ego autem fruſtulum meum ſeruaui, donec occaſio mihi contingit plurimam de tali gũma portionem habuiſſe, quoniam eam, vt mihi pro exẽplo inſeruiret conſeruaui; Ideò cùm factus fuiſſem voti compos de hac poſſidere gumma, & de ea periculum facere, ac illam experiri maximopere optauiſſem, prouincia aggreſſa, pluries de ea periculum feci; vnde viginti, ac plurium annorũ ſpatio eiuſdem præſtantiſſimas facultates, ac dotes diſcere, ac percipere poſſe mihi conceſſum fuit ab omnipotenti Deo, ſicuti ſuperius candidè, ac fideliter à me exploſum, ac enarratum fuit.

Hæc Gumma, ſicuti in Jndiis occidiuis eſt in vſu, ad præſens quoque vtitur in Hiſpania; Gallia, Belgia, Germania, pluribuſque aliis locis, quapropter impoſſibile eße cenſeo, quin aliquis huius gummam obſeruator aliquid de ipſa, ac de ipſius facultate ſuis ſcriptis tradere, ac in lucem ædere deſſiſtat?

Ego autem ſi interim quidquam boni de ipſa gumma ad

aures

aures meas peruenire contigerit, omne id ad hominum commodum profectò propalabo.

Epiſtolæ meæ (Compater cariſſime) poſtremò tibi traditæ, vnà cum hiſtoria de gumma indica antiaſthmatica &c. ſuperioribus diebus à me ſcripta tuis reſponſionum litteris aſſeris, ac dicis, tuam profectò eſſe ſententiam, firmamque opinionem hanc gummam realiter gummam alicuius arboris non eſſe, ſed aſſeueranter dicis potius illam eſſe ſuccum concretum alicuius plantæ lacticinoſę, eiuſdem ſpeciei præcisè, ſicuti reperitur ipſa ſcamonea, & his rationibus tuam comprobas ſententiam, quòd ipſa ſcamonea in aqua, humidisque rebus quoque diſſoluitur, quamuis nõ ita facile, ſicuti gumma iſta, & etiam dùm lingua madeſit eandem mutationem facit, veluti ipſa; ideò concludis illius ſcamoneæ ſpeciei neceſſariò eam exiſtere poſſe?

Cui tuę opinioni (vt ingenuè fatear) ſententia mea (quamuis non omninò, in parte tamen aduerſatur, rationibus inferius adducendis, quoniam Carthageniæ Epiſcopus de re herbaria ſumme curioſus, vt refert Nicolaus Monardes lib. & locis ſuperius citatis eã pro gumma ipſo Monardo tradidit, affirmans eam in Indijs præcipuè in Regno Perù ſic vocari, ſicuti quoque Illuſtriſſimus ille Baro à quo in Ciuitate Gretij ipſius gummæ fruſtulum dono recepi teſtatur eam per vniuerſam Hiſpaniam ſub nomine gummæ deferri, pro vt etiam teſtimonium reddunt Principales illi Auguſtani, ex relatu eorundem Tabellarij, Ideò ſicuti non eſt ſuccus concretus, veluti aſſeris, ſed verè gumma, cum

aliqua ſtirpium laſticinoſarum minimè conuenire videtur, neque illarum ſpecierum eſſe poteſt, rationibus inferius adducendis, & authoritatibus commoſtrandis; Itaque antequam vlterius procedam quales ſint herbæ lacticinoſæ, ac earundem facultates prius inquirendum eſſe arbitror.

Herbæ autem lacticinoſæ ab Authoribus deſcriptæ ſunt Scamonea, Turbit, Ferula, Ferulaca, Camelea, Pytiuſa, Eſula, Latyris, & Tytimali omnes. Quapropter ſi volumus harum plantarum facultates cum prędictæ gummæ facultatibus examinare, ac diſtinguere, opere prętium eas omnes examini ſubijcere, & initium facientes à ſcamonea dicemus

Scamoneam medicamentorum purgantium eſſe maximum purgatiuum, cuius quidem ſuccus eſt lacteus, & eſt maximo opere amarus, cuiuſque facultas eſt calida, & ſicca ordine tertio.

Deijcit bilem, & valentiſſimè eam attrahit à ſanguine, & venis vehementer, cuius operatio eſt furioſa, inimica, & noxia cordi, ſtomacho, hepati, ac inteſtinis, nauſeam facit, viſcera turbat, & ſubuertit, ſitim inducit, & appetentiam deijcit, ſic atteſtante Meſue lib. de ſimplicibus moleſtè purgantibus cap. 1. fol. 47.

Turbith verò eſt radix herbę lactarię, folia ferulę, ſed minora habens, laudatur enim gummoſus, album, vacuum, arundinoſum, cortice cineritio, ac plano, mediocriter recens, fractu facile, quod calidum eſt ordine tertio.

Purgat (trahendo, mediocriter) ſtomachum exagitat, & euer-

& euertit eodem Meſue teſte lib.ſupra cit.cap.2.fol.50.

Ferula, cuius liquor, ſeu ſuccus condenſatus eſt opoponax, qui optimus eſt intus albicans, foris verò flaueſcens, amarus fragilis, bonique exiſtit odoris.

Calidum, & ſiccum eſt ordine tertio.

Purgat pituitam craſſam, ac lentam à cerebro, neruis, thorace, & iuncturis, & eorum ęgritudinibus frigidis confert, & vtitur in cathaplaſmatibus ſuper membrorum nodoſitates, de quo agit ipſe Meſues eodem lib. de ſimplicibus moleſtè purgantibus, cap.21.fol.69.t.

Ferulaca, cuius ſuccus concretum eſt ſagapenum eligitur flauum, intus album, & acre.

Siccum ordine ſecundo, & calidum ordine tertio.

Pituitam, humoresque craſſos, ac lentos, & aquas in ventriculo deijcit, attamen ipſi ventriculo nocuum eſt, eodem Meſue teſte ſupradicto lib.cap.19.fol.68.t.

Camelea, id eſt Thymelea, ſeu mezerion à Perſis appellata rapiens vitam, & ab alijs leo terræ, & facit viduas, Planta eſt lactariarum, caule bicubitali, folijs oliuæ, ſed maioribus, fructu nigro.

Calida eſt, & ſicca ordine quarto, potius quam tertio, Vis enim ei ineſt valenter acris, ignea, vlcerãs, mordens, inflammans, virtuteſque diſſoluens.

Aquas ſeroſas, ac melancholiam valenter purgat (ſuis tamen adhibitis correctionibus) eodem Meſue teſte, eodem lib.cap.22.fol.71.

Pytiuſa, quæ etiam eſula, & ſerbam parum dicitur, &

Alſebram ſeu Apios ſerbam magnum ſunt plantę ſpecierum lactinoſarum, & ſolutiuum ruſticorum dicitur, magunm verò eſt abſcindens viſcera, paruum verò eſt, quod eligitur, & melior pars plantæ eſt cortex eiuſdem radicis.

Temperamento eſt calida, & ſicca in principio tertij gradus; & lac eius calidius, quod eſt compoſitum ex ſubſtantia ignea, terrea ſtiptica, & eſt inciſiuum, ſubtiliatiuum, exiccatiuum materierũ ſubmerſarum, liquefactiuũ, & aperitiuum, & diſruptiuum orificiorum venarum.

Phlegma vehementer educit, & aquam citrinam, & humores melancholicos, ac materias à iuncturis, & confert eorundem doloribus, & eſt ex medicinis magnis ad hydropiſim, verùm tamen nocet hepati, corpuſque deſiccat, vtentes ipſo, & ſperma conſumit, & eius lac hoc facit vehementius, & febres excitat, pro vt idem Meſues teſtatum reliquit, eodem lib. cap. 23. fol. 72.

Tythimalus mas, & fęmina reperitur, maris ſunt duæ ſpecies, nempè Characias, & agmidaloydes, ſeu lactaria; fęminę vero ſunt plures myrithes, carithes, ſeu candida lactaria, alius dicitur tythimalus paralius Tythimalus heliſacopius, Tythimalus cipariſius, & Tythimalus dendroides, &c.

Tythimali omnes in aſperis, ac montanis naſcuntur locis, qui vincentem habent acrem, calidamque facultatem, in quibus quoque ineſt amaritudo. Validiſſimus itaque eſt earum liquor, ſecundum locum tenet ſemen, & folia, ſed radix particeps eſſe dicitur, ſed non ex æquo.

Inter

Inter omnes tythimalos valentius eſt Characias, &c. Dioſcoride lib. 4. cap. 159. & Galeno lib. 8. de ſimplicium medicamentorum facultate teſtibus.

Lathyris, quę etiam cathaputia minor dicitur, eſt herba, quę vbique oritur, in hortis, lociſque cultis, & ſabuloſis gaudet.

Succum habet, vt Tythimali, eodemque modo purgat totaque illis facultate ſimilis eſt, niſi quod ſemen guſtantibus videatur dulce, quod ſanè etiam maximè purgatoriam vim obtinet, teſte eodem Galeno lib. 7. de ſimpl. med. facultate.

Ex his itaque ſuperius ennarratis, ac exploſis conijcere licet, quantum liquores condenſati, eorumq; ſtirpes, ac ſimplicia lacticinoſa humano generi noxia ſint, quam meritò à grauiſſimis medicinæ Authoribus, & præcipuè ab eodem Meſue deleteria, ac moleſtè purgantia appellata fuere, quod profectò minimè contingere videtur in operationibus prędictę noſtrę gummę, quę cùm omni amaritudine, ſalſedine, ac acrimonia careat (primum caliditatis gradum non excedens, placidas, ac innoxias facit eius operationes, & breui temporis curſu patientes à ſuis ſubleuantur languoribus, ſicuti ſuperius expoſui.

Quapropter (dilectiſsime compater) concludendum eſſe cenſeo gummam noſtram indicam non exiſtere ex ſimplicium lactariorum genere, & multo minus alicuius ſpeciei ſcamoneę paæciſè, vt aſſeris. Verum quid ipſa ſit, & vnde proueniat pr ęſcurtandum erit.

Ideò

Ideò cùm DEVS omnium bonorum largitor eius gratias vndique diffundere, & communicare videatur, in Indijs præcipuè ſuarum gratiarum immenſitatem oſtendere voluit; quoniam in illis Regionibus præter infinita, ac innumerabilia alia munera produxiſſe videtur arbores, à quibus liquores, veluti oleum, vinum, ac acetum, nec non & alia materia farinę ſimilis emanare videntur, quæ profectò ad hominum vſum, commodumque reſultant. Produxit quin etiam fructus varios, ac maximè proficuos generi humano, maximo opere admirabiles, cùm ad victum neceſſarios, tùm ventris deoneratorios, & purgatorios, veluti auellanę quædam, pignones, noſtratibus ſimiles, ac fabæ, de quibus agere videtur Dum Grazias ab horto Luſitaniæ Medicus in eius de ſimplicium aromatum, aliarumque rerum, quæ ex Indijs orientalibus ad medicinę vſum ſpectant tranſportantur hiſtoria, lib. 3. cap. 16. 17. 18. fol. 302. 303. 304. nec non quidam liquor ad lactis denſi, viſcidique ſimilitudinem, qui per vniuerſam plagam nouæ Hiſpaniæ copiosè elicitur de quibuſdam arbuſtis Penipenichi vocatis, quæ veluti pomaria exiſtunt. Incolæ illius Plagæ earum ramuſculos incidunt, & ex his ſtatim liquor illę egreditur, cuius tres, quatuorue gutæ exiccatæ, & in puluerem redactæ in vinoque propinatæ, per ſeceſſum humores cholericos priùs, poſtea aquam citrinam maxima cum efficacia, ac citò educunt, nam de hoc lacte deſumi debet in pauca quantitate, quoniam valida eſt eius operatio, nihilominus vnicam, ac prętantiſſimam

mam habet proprietatem; nam dùm aliquid comeditur, aut iuſculum, vel vinum, aliud ve ſimile bibitur, illicò ſuas remittit operationes, ſicuti idem D. Grazias eodem lib. cap. 19. fol. 326. teſtari videtur.

Eapropter ex inciſionibus ramuſculorum prefatorum arbuſtorũ maxima prædicti liquoris lactei, denſi, ac viſcoſi quantitas per vniuerſam illam noue Hiſpanie Plagam elici poteſt, que deindè radijs ſolaribus expoſita (aliqua correctione fortaſſe adhibita, & aliquo eleganti colore addito ab aliqua peregrina planta decerpto) condenſata, in noſtram gummam Indicam croceo colore preditam conuerti, ac tranſmutari pro comperto habeo, & hoc firmiſſimè teneo, quoniam quoque hec gumma ex noua Hiſpania, & ex regno Perù transfertur, & per varias orbis partes communicatur, pro vt Nicolaus Monardes teſtatur Siuiliæ Medicus in ſecunda parte in ſuos diſtincta libros rerum, que ad vſum medicine ſpectant, tranſuehuntur, cap. 1. fol. 462. ſuperiùs citato.

Ecce igitur (compater amantiſſime) quo modo rectè iudicaſti hanc noſtram gummam à quadam planta lacticinoſa prouenire, ſuumque ortum ducere, quàmuis in alia parte deceptus fuiſti, credendo eam fuiſse ſuccum condenſatum alicuius ſimplicis lacticinoſi, & precisè eiuſdem ſpeciei cum ſcamonea.

Itaque Compater Cariſſime concludendum eſſe cenſeo, Gummam noſtram Indicam non eſſe ex genere prefatarum ſtirpium lactariarũ, & multo minus alicuius ſpeciei præcisè, ſicuti

ſè, ſicuti ſcamonea, vt aſſeris; Ideò quid autem ſit, & à qua planta proueniat inquirendum eſſe cenſeo. DEVS enim bonorum omnium largitor, cùm ſuas gratias vndique diffundere, & communicare videatur, In Indijs pręcipuè ſuarum gratiarum immenſitatem oſtendere voluit; nam pręter infinita, ac innumerabilia alia munera tradita (maximarum, ditiſſimarumque minęrarum auri, argenti, & gemmarum pręcioſarum) produxiſſe etiam videtur varias arbores, plantas, fructus, atque radices non ſolum ad hominum alimentum vtiles, ac neceſſarias, verum etiam ad medicinę vſum maximo opere accommodata, Nam in Regno Perù, alijſque Indiarum locis quampluribus, quędam naſcuntur arbores, quæ Molles vocantur, ex quarum fructibus in aqua ebullitis Homines illarum regionum liquores extrahunt, veluti mel, vinum, & acetum, ſicuti ex alijs arboribus liquores ad inſtar olei exprimunt, & ex quibuſdam radicibus ab ipſis ſertis, maximoque in prętio habitis, atque exiſtimatis, quę dùm virides exiſtunt Papę, & dùm ad ſolem ſunt exiccatæ, vt integrę, & non cariatę per totum annum cuſtodiantur (ciuna appellantur) farinam pro pane, ferculiſque conficiendis optimam, ac pręſtantiſſimam eliciunt, pro vt teſtatum reliquit Petrus cognomento della Ciecha ex Leone in prima parte ſuæ Hiſtoriæ magni Regni Perù cap. 113. fol. 201. Et ſimiliter in illis regionibns producuntur quędam auellanę, pignones noſtratibus ſimiles radices, ac fabę, quę omnes facultate purgatoria, ſolutoriaque pręditę ſunt, de quibus agere videtur

detur

detur D. Grazias ab hortu Luſitanię Medicus, in eius de ſimplicium aromatum, aliarumque rerum, quæ ex Indijs orientalibus ad medicinæ vſum ſpectant Hiſtoria tranſportantur lib. 3. capit. 16. 17. 18. fol. 302. 303. 304. Nec non liquor quidam ad lactis denſi, viſcidique ſimilitudinem, qui per vniuerſam Plagam nouę Hiſpanię copiosè elicitur de quibuſdam arbuſtis Penipenichi vocatis, quę veluti pomaria exiſtunt. Incholę enim illius Plagę illarum arbuſtarum ramuſculos incidunt, & ex eis ſtatim liquor ille egreditur, cuius tres quatuor ve guttę exiccatæ, & in puluerem redactę, in vinoque exhibitę per ſeceſſum, priùs humores cholericos, poſtea aquam citrinam maxima cum efficacia, & citò educunt, nam de hoc lacte deſumi debet in pauca quantitate, quoniam valida eſt eius operatio, cùm verſus gradum tertium ad caliditatem vergat; Nihilominus vnicam, ac prę ſtantiſsimam habet proprietatem, nam dùm aliquid comeditur, vel iuſculum, vel vinum aliud ve ſimile bibitur, illicò ſuas remittit operationes, ſicuti idem D. Grazias teſtari videtur eodem lib. cap. 19. fol. 326. Quapropter ex inciſionibus quamplurimis ramuſculorum prę ſatarum arbuſtarum maxima prędicti liquoris lactei, denſi, ac viſcoſi quantitas elici poteſt per vniuerſam illam nouę Hiſpanię Plagam, quæ deindè radiis ſolaribus expoſita (aliqua correctione fortaſſe adhibita, & aliquo eleganti colore addito, à peregrina quadam planta de prompto) condenſata, & in noſtram Gummam Indicam croceo colore prędita m conuerti,

D   *& tranſ-*

& tranſmutari pro comperto habeo, firmiſſimèque teneo: quoniam quoq; hæc Gumma, ſicuti teſtatur Nicolaus Monardes Siuiliæ Medicus, in ſecunda parte in ſuos diſtincta libros rerum, quæ ad vſum Medicinæ ſpectant cap. I. fol. 462. ex Inſulis Occiduis, & ex ipſa noua Hiſpania, & Regno Perù transfertur, & per varias Orbis partes communicatur. Ecce igitur Compater amantiſſimè quo modo rectè iudicaſti hanc noſtram Gummam à quadam planta lacticinoſa prouenire, ſuumque ortum ducere; nihilominus (iudicio equidem meo) in errorem cecidiſti, ac deceptus es, dicendo, & credēdo eā eſſe ſuccū cōdenſatū alicuius ſtirpis lacticinoſæ, et præcisè eiuſdē ſpeciei veluti ſcamonea; Ideò, cùm ſatis dixiſſe videar circa hoc amplius non immorabor.

Vlterius in præfatis tuis litteris quamplures illic de re herbaria curioſos reperiri ſcribis maiorem intelligentiam habere cupientes de plantis Micciocani, & ſalapæ, quæ ex Indijs, ac Prouincijs ita vocatis transferuntur; Ideò hanc prouinciam quamuis difficilem ſuſcipere decreui, & quam primum ſententiam meam circa tuam petitionem exaratam, & exploſam tibi tradam. At quando metam, verumque ſcopum (ob ingenij mei imbecillitatem) minimè attingam, tua conſueta humanitate me excuſatum habere curabis, quoniam hoc vnum præcipuè tibi ſignificatum eſſe volo, me Indiarum Prouincias nunquam per agratum fuiſſe, neque (ob ſenium) in poſterum peregrinaturum eſſe credo.

Præ manibus meis, toto vitæ curſu duos tantummodo

Autho-

Authores habui, Iacobum VVECKERIVM videlicet in eius Medicinæ praxi fol. 207. & Dum Gratiam ab hortu Luſitaniæ Medicum, eodem ſupra citato libro cap. 20. fol. 306. qui de Micciocane egerunt, ſed neminem adhuc inueni qui de ſalapa egiſſet. Dicunt autem hi, quòd Micciocan eſt radix cuiuſdam plantæ, quę ex Indijs Maris Oceani tranſuehitur ex quadam nouæ Hiſpaniæ Prouincia Micciocan vocata, quæ quidem radix etiam Rheubarbarum eiuſdem nouæ Hiſpanię, & Rheubabarum Micciocan appellatur, cuius plantam viridem in quodam doliolo exiſtentem in Conuentu Diui Franciſci Lisbonę ex Indijs delatam à quodam Monacho D. Grazias vidit, & obſeruauit, quę quidem herba dicebat ille circa harundinem ſerpit, ac inuoluitur, & viriditatem poſſidet obſcuram, cuius frondes cum nerulis delicatę abſque vlla humiditate cum paruo cuſpide ad peculium directo, magnitudinem vnius ſcutellæ non excedentes reperiebantur. Cuius ſtips, ac fuſtus Leonato claro conſpicitur colore, & ſuos facit racemos cum vna parula coriandri magnitudine non excedentes, & dùm aliquod adminiculum ponitur circa illud colliguntur, ac ſerpunt. Radix eiuſdem eſt craſſitie, ſicuti illa noſtratis Brioniæ.

Hæc radix (ſequebatur ille dicendo) humores cholericos craſſos, cum phlegmaticis humoribus cuiuſcumque generis permiſtos, & etiam humeros viſcidos, ac putridos, ambaſq; choleras, citrinamque educit hydropicorum aquã, maxima cum facilitate. Cuius ęquidem principalis cura ac

opitulatio, non ſolum ad hepar mundiſicandum, corroborandumque, verum etiam ad membra eidem coniuncta, veluti ſtomachum, & ſplen dirigitur, & horum membrorum cunctas aperit opilationes, omneſque infirmitates ab his coniunctas curat, veluti, gratia exempli hydropim, ac icteritiam, quoniam cum eius operatione malam iecoris complexionem emendat, flatuoſitates reſoluit, ac facillimè expellit. Omnem iecoris, lienis, ſtomachique dolorem antiquatum amouet, cerebrum, neruosque mundificat, humores educendo, qui in capite reperiuntur. Tumores phlegmaticos, ac ſtrumas reſoluit. Cunctis à capite longis diſtillationibus, iuncturarum doloribus, ita in generali, ueluti in particulari, ut exẽpli Gratia in guta arthetica, in ſtomachi paſſione, & in eiuſdem dolore cauſam euacuando, ventoſitateſque conſumendo opitulatur, & prodeſt. In vrinæ, veſicæque paſſionibus, in lumborum doloribus, & in cuiuſcunque generis colico affectu mirificè operatur. Mulierum paßiones, præcipuè hyſtericas emendat, & curat. In pectoris affectibus, veluti tuſſi antiquata, & aſthmate maximo opere valet. Valet quinetiam in renum paſsionibus ab humoribus craſsis concitatis, quoniam eos educit, ac expellit. In gallico affectu mirificas facit operationes, humores peccantes educendo, qui maiori ex parte frigidi ſunt, præcipuè quando morbus antiquatus exiſtit, nam eos humores abſque vllo incommodo educit, dùm tamen per plures vices (ſicuti occaſio pręſtabit) de ipſo ſumeretur, nam in ijs cronicis morbis vnica euacuatio minimè eſt ſufficiens, ſed plures euacuationes re-

quirun-

quiruntur, quod tutò ſieri poteſt cum hac radice.

Hęc radix quoque febrium compoſitarum, cronicarum, importunarumque cauſam amouet, veluti ſunt tertianę nothę, quotidianæ phlegmaticę, erraticæ, & huius generis alię, à frigidis, craſsiſque humoribus prodeuntes hac quidem radice vti debet, quoniam in ſimilibus his ęgritudinibus cronicis Medicus vni ſoli euacuationi quieſcere minimè debet, ſed paulatim digerendo, per epicraſimque euacuando ſuo fungi debet officio.

Ex qua Micciocani delineatione, ac eiuſdem facultatum declaratione ab eodem D. Grazia facta nil aliud eſſe arbitror, niſi noſtrarum regionum Brioniam, propter maximam ſimilitudinem, ac conuenientiam, quam cum ipſo habet, non tantum ratione formæ, quantum ratione facultatum.

Nam noſtratis Brionia eſt planta duarum ſpecierum alba, & nigra. Vterque germinare ſolet in Veris principio, & plura ex vnica radice emitti ſarmenta, priùs tenuiora, ac piloſa aſparigis ſimilia, quę veluti illi comeduntur, & corrupto nomine tacari appellantur, qui tamen non adeò ſapidi ſunt, ſicuti illi, quę quidem ſarmenta creſcentia paulatim ſepes, arbuſculos propinquos, ac harundines circundant, ac ſerpunt. Frondes attamen ipſarum plantarum diuerſæ reperiuntur, nam illę Brionię albę ſunt circum circa inciſę ad ſimilitudinem foliorum vitis viniferæ, piloſæ, rudiæ, ac aſperæ.

Brioniæ nigræ verò frondes, præterquam ſunt viridi-

tate

tate intenſæ, ſuut inclinantes ad rotunditatem, mucronatę, lenes, delicatæ, ac omni humiditate carentes, ſimiles folijs hederę terreſtris, ac ſmilacis, cuius fuſtus ſimilis eſt ſmilacis fuſto ad flauedinem tendente.

Cuius radix exteriùs eſt nigra, interius verò lutei coloris remiſſi, & eaſdem poſſidet virtutes, ac dotes, quas poſſidet Brioniæ albę radix, nihilominus imbecilliores, prò ut inferiùs patebit, &c.

Radix vero brionię albę frequentius craſſitudine coxæ hominis, & longitudine cubitali reperitur, vinacea, & carnoſa, in cauda biſurcata, exterius coloris terreſtris, interiùs verò albicantis, quæ ſylueſtris cucurbita appellatur.

Flores vtriuſque brionię ſyderati in ſuis racemis exiſtunt, qui albicantes ad croceitatem tendunt. Quarum fructus racemoſus ad hortenſis ſolatri ſimilitudinem exiſtit, coloris viridis priùs, qui dùm ad maturitatem peruenit in his regionibus rubeus, & in Boemia, Vngaria, alijſque pluribus regionibus niger procreatur, & earundem ſemen rotundum cuſpidatum ſuis in bachis, aut granulis in quodam liquore viſcido immerſum reperitur, ſicuti teſtatum reliquere Dioſcorides, lib. 4. cap. 183. & Petrus Andreas Mathiolus in eiuſdem Dioſcoridis commentarijs.

Et vt magis facultates, ac virtutes noſtratis brioniæ clarioris intelligentiæ gratia, antequam vlterius procedam Meſuæ verba priùs perpendenda, ac perſcrutanda eſſe arbitror, qui eodem libro de ſimplicibus moleſtè purgantibus cap. 25. loquens de ipſa brionia ſub nomine Alfeſceræ, &

fece-

feceresim omnes ferè dotes, ac facultates deſcribit reperiri in ipſa brionia, quę ab eodem D. Grazia deſcribuntur cap. 20. lib. 3. ſuperius citati reperiri in ſuo Micciocane, immo cenſeo ipſum D. Graziam maiori in parte talium faculta-tum brionię notas ab ipſo Meſue deſumpſiſſe, & ſuo Micciocani eas aſcripſiſſe, & attribuiſſe, ſed audiamus ipſum loquentem.

Feſcora eſt planta, quam vocant vitem albam cuius radix eſt terrei coloris exteriùs, interiùs verò alba, & eleuantur ſuper radicem eius ſtipites multarum inuolutionum ſuper alias arbores, & naſcuntur ſuper eas botri, ſicuti botri vuarum, & vocantur lupinę.

Cuius ſpecies eſt feceresim, quę vitis nigra intelligitur, cuius radix exterius eſt cineritia, interius verò alba non albedini prioris, & vocatur cucurbita reptilium.

Feſcera calida eſt ordine tertio, & eſt compoſita ex partibus igneis aduſtis, & igneitas eſt dominans quare eſt acris, mordicatiua cum pauca amaritudine.

Feceresim verò eſt minus calida, & pars terrea in ea eſt maior igneitate eius, propter quòd eſt cum amaritudine ſuper acredine ipſius, & eſt in omnibus debilior, quàm feſcera.

Vtriuſque radix, & propriè ſuccus eius ſolutione educit phlegma, & prouocat vrinam, & mundificat cerebrum, & neruos, & membra anhelitus à ſuperfluitatibus putridis phlegmatis, & aperit viſcerum opilationes, & renum, & confert ſecundum omnem modum adminiſtrationis eius

epi-

epilepſię, & vertigini, & ęgritudinibus neruorum frigidis, & affert iuuamentum manifeſtum tuſſi, & aſthmati, & propriè ſumptus lambendo laterum dolori confert, & eius radix eſt de reſoluentibus apoſtemata dura, & apoſtemata ſplenis, & propriè emplaſtrum factum ex ea cum Ficubus, & vino, quæ etiam eſt abſterſiua, & mundificatiua, nam omnes maculas e cuti delet, eamque mundificat, eiuſdem panum, omnemque fæditatem, ac vulnerum veſtigia remouet, & emendat. Seſſio in eiuſdem radicis decoctione matricem mundificat. Ex radicis ſucco vino melleque ęquali pondere ſit potio aduerſus ſtrumas, ſicuti expertum eſt, eiuſdem emplaſtrum cum melle, quod eas delet, & venenoſorum animalium morſibus confert. Radicis feſcorę doſis eſt ab aur. 1. vſque ad 2. & eius ſucci à 3. 1. vſque ad 3. 2.

Ex itaque pręſtantiſſimorum Authorum ſcriptis clariſſimè ferè omnes conditiones, facultates, dotes, ac eichonum delineationes, quę continentur in Micciocane contineri, ac reperiri videntur in brionia noſtrarum regionum, ideò abſolutè meam ſententiam profero, brioniam realiter eſſe Miccioccan Indorum, nec obſtat huic meę opinioni aduerſari D. Grazias eodem cap. 20. fol. 312. quando dicebat.

Radix Micciocani craſſa reperitur ad inſtar Illius noſtrę brionię, adeò quòd illā eſſe brioniā, Aut illius ſpeciei aliqui crediderunt, ſed verè inter ſe valdè differunt, nam radix brioniæ tùm viridis tùm ſicca valdè mordicat, quod minimè

facit

facit radix Micciocani, quæ inſipida eſt, abſque vlla mordicatione, & acrimonia. Differunt quinetiam in fronde, ac folijs.

Quibus rationibus friuolis, paucique momenti iudicio equidem meo, facilè reſponderi poſſe arbitror, quibuſdam validiſſimis medijs.

Primò mutatione locorum, ac climatum plantarum conditiones mutari non videntur? nam ſquilla in varijs regionibus tranſportata, ac tranſplantata non ne ſuam veneficam qualitatem maiori ex parte depoſuit? & Perſica mala, quæ apud Perſas venenoſa reperiebantur, in noſtris regionibus omnem veneni conditionem, malamque veneficam qualitatem, non ſolum depoſuere, verum etiam guſtui grata, ſtomacho in ſedando vomitu maximo opere proficua reddita ſunt? In humo pinguiori, non ne ſimplicia altiora, formoſiora, ac magis fructifera naſcuntur, potius, quàm in humo ſicco, & ferè arido? Quid mirum igitur erit, ſi planta Micciocani, quam viderat D. Grazias in conuentu Diui Franciſci Lisbonæ ex Indijs translata bene nutrita ab humo pinguiori cum folijs magnis cuſpidatis, lenibus delicatis, omni humiditate carentibus cum ſuis neruulis, nihilominus non erit inferendum, quòd Brionia noſtrarum regionum nõ poſſit eſſe Micciocan indicum, & eiuſdem facultatis præcipuè quoniam vnius plantæ ſola conſpectio facere haud debet regulam, quoniam neque vnica hirundo indicat Ver; quamuis enim frondium fuſtuum nec non racemorum omne caracter prædictæ plantæ Micciocani in noſtra Brionia ni-

gra exiſtere videtur, nam ipſius frondes cuſpidatę, lenes, delicatæ, neruoſæ intensè virides, humiditateque carentes ſimili modo reperiuntur, & ſimiles ſunt hederę terreſtris, ac ſmilacis folijs, cuius ſtipites flaueſcentes exiſtunt, pro vt nudius tertius ex viridi ipſius brioniæ nigræ planta mihi allata conſpicere licuit, & pariter ex eichone à Doctiſſimo Matheolo in ſuis commentarijs poſito præcipuè in cap. 184. lib. 4. Dioſcoridis conſpici poteſt. Vlterius quamplurimæ etiam reperiuntur plantæ eiuſdem ſpeciei, veluti ſunt Verbaſei, Tythimali (de quibus ſuperiùs mentionem feci) et alia propemodum infinita ſimplicia, quæ eaſdem poſsident facultates, nihilominus frondibus, fuſtibus, floribus, ac tota planta differunt, ſicuti etiam clariſſimè conſpicitur, quòd brioniæ albæ figura, ac imago à nigra valdè diſſimilis exiſtit, nam alba habet eius folia piloſa tumentoſa circum circa inciſa ad foliorum vitis viniferæ ſimilitudinem, nihilominus eaſdem poſſidet facultates, attamen valentiores, quas poſsidet ipſa nigra. Obiectioni autem factæ ab eodem D. Grazia, quæ erat, quòd radix brioniæ, tàm ſicca, quàm recens ſemper mordicat, reſpondẽdo dico, cùm ipſe D. Grazia, nullum feciſſet periculum de qualitate ipſius radicis plantę in conuentu Diui Franciſci Lisbonę viſę, quoniam ipſam minimè guſtauit, etiam ſub ſilentio tranſit, ideò obſeruare minimè potuit an ipſa acris, amara, & graue olens fuiſſet nec nę? Nec obſtare videtur, quamuis noſtrę brionię radix ſit acris aliqualis amara, ac graue olens nihilominus concludi non poteſt ipſam non exiſtere eiuſdem facultatis cum Miccioca-

ne,

ne, tùm rationibus ſuperiùs adductis, cùm rationibus inferiùs adducendis; nam ratio me credere id perſuadet, quod ſuis in regionibus etiam radix Micciocani acris, amara, ac graueolens eſſe poteſt, veluti noſtratis brioniæ radix, quoniam quando talis minimè fuiſſet illarum regionum incolis eam incidere, & in taleolas diuidere ſuper vacaneum eſſet; eapropter nulla alia de cauſa id fieri arbitror, niſi vt eā corrigant, ſuisque prauis qualitatibus expurgent, & emendent, & id facilimè conſequi poſſe cenſeo, nam dùm ex brioniæ noſtræ radice ceruſa conficitur, pro eleganti muliercularum fuco, ex ipſa radice recenti, priùs inciſa, paruulisque in taliolis redacta, & per tres, quatuor ve dies in nitida aqua macerationi tradita (ſingulo die aqua illa mutata) in mortario lapideo deindè diligenter contuſa ſub prẹlo ipſius liquor extrahitur, qui radijs ſolaribus in vaſis accommodatis vitreis, aut vitreatis exiccari permittitur, quæ omninò inſipida eſt, omnique graui odore carens, ſicuti experientia me docuit. Et fẹcula ipſius brioniẹ, quẹ abſque vlla maceratione fit, ſed ſolummodo radix recens in paruulis taleolis inciditur, mortarioque marmoreo contunditur, & ſub prẹlo liquor extrahitur, qui non ſolaribus radijs, ſed in vmbra in cella vinaria (admoto eius Phlegmate priùs) exiccari permittitur, & hoc pacto fẹcula brioniẹ celebratur, quẹ omni acrimonia, mordacitate, ac graueolentia caret, ſed ſolum modo linguẹ tactu aliqualis lẹuis, & non ingrata perſentitur amaritudo, quẹ quidem fæcula maximum eſt matricis mundificatiuum à me pluries expertum, ſicuti ſua in pharmaco-

pæa Dogmaticorum reſtituta ſcribit Ioſeph Quercetanus Vir profectò doctiſſimus, & nunquã ſatis laudatus; Itaque quando Micciocani radices correctione carerent, illæ integræ, ac exiccatæ ab Jndis noſtris in regionibus tranſmitterentur, ſicut fieri videtur de Rheobarbaro Jndico, Barbaro, & turcicho, de quo agere videtur ipſe Meſues lib. 2. cap. 5. fol. 29. ſed quoniam aliqua correctione indiget Micciocan ſic correctum Incolæ illi ad nos tranſmittunt.

Eapropter ijs adductis rationibus obiectiones à D. Grazia factę neceſſariò corruere videntur, & Brionia itaque noſtrarum regionum verè, ac realiter eſt Indorum Micciocan, quoniam eiuſdem facultates ipſa Brionia poſsidet, quæ tamen ſi ad vſum Medicinæ redigi, ac conuerti debet, ſua quoq; eiuſdem radices indigent correctione, & ſicuti Brionia ipſa alba (vt arbitratus ſum) realiter eſt ipſum Micciocan, ita, & non aliter, brioniam nigram realem eſſe ſalapam Indorum, ſuasque cunctas habere dotes pro comperto teneo.

Ecce igitur (Compater cariſſime) te poſtulante ac flagitante, meam habes ſententiam de Micciocane, ſalapa, ac de Brionia; ideò ſi metam, & verum ſcopum minimè tetigiſſe comperies, me excuſatum habebis, quoniam ſufficiet mihi in gratiam tuam ſuperiora dixiſſe, tibique opinionem meam circa hoc propalaſſe.

Poſtremò in obſeruationibus in medicamentorum compoſitionibus ob Officinarum vſum Georgij Melichij Auguſtani, olim ad inſigne ſtrutij Venetijs Pharmacopęlę tua diligen-

ligen-

ligentia, ac ſtudio mox in lucem èditis, pluribuſque præſtantioribus medicinis, ac tuis annotationibus decoratis ac illuſtratis fol. 53. deſcribitur formula confectionis Imperialis Officinarum, & in eius tua obſeruatione vulgari ſermone, ſic ſcribis.

Queſta confettione è molto in vſo, ſe bene per il più s'adopera ſenza muſchio, & noi più volte l'habbiamo parata con aggionta d'ambra eguale al muſchio ad inſtanza dell'Eccellentiſſ. Sign. Zacharia dal pozzo Medico, &c.

Queſto ſe ne ſeruiua di queſta confettione completa con ambra, & muſchio negli affetti vterini cō feliciſſimo ſucceſſo, con tutto, che la maggior parte de Medici tiene, che in ſimil caſi ella apporti più toſto nocumento, che giouamento.

Veriſſimum eſt, quòd in affectibus vterinis, & hyſtericis per os hanc confectionem imperialem pluries non ſolum exhibui, ac propinaui maximo cum patientum beneficio, & non (vt alij aſſerunt cum nocumento eorum) verum etiam alias res odoratas, confectionesque varias cum muſco, tradidi, nihilominus nemo credere debet meo marte hoc feciſſe, quoniam hoc præſidij genere vſus fui, authoritate, & experientia (quæ eſt rerum magiſtra) præſtantiſſimorum in Medica arte Virorum innixus, (quibus profectò quiſq; minimè contradicere poterit) Nam Hypocrates Medicinę Monarcha lib. de natura muliebri ſect. 3. verſ. 84. & 2. de morb. mulierum ſect. 3. verſ. 283. iubet, vt præfocatæ

mulie-

mulieres vinum odoratiſſimum deglutire cogantur. Hoc enim, tùm odoris ſuauitate, tùm etiam tenuitate ſubſtantiæ ad vterum penetrat, & ſua caliditate frigidos in eo exiſtentes vapores diſſoluit, & Horatius *Augenius tempeſtatis præſentis Vir in Arte Medica Celeberrimus in lib.* 12. *ſuarum Epiſtolarum, ac conſultationum, Epiſtola* 7. *vbi agere videtur de hyſterico affectu, ſeu de vteri ſuffocatione fol.* 150. *t. vtebatur quodam ſuo experimento Augenij vocato, in quo ingreditur muſcus, quod (ſicuti ipſe eo loci teſtatur, nunquam fefellit, quod eſt, vt mulier hyſterica deuoret muſci optimi grana quinque, cinamomi, gariophilorum, nucis moſcatæ an. ſcr. i. vino odoratiſſimo diſſoluta, & in eadem Epiſtola fol.* 51. *t.* pro *præſeruatione ab vteri ſuffocatione pilulas ſuas de muſco vocatas his verbis commendat.*

Si quis alternis diebus ante cęnam per *horas duas aſſūpſerit ſcr. ij.* pilularū *de muſco, adeò præſeruabitur ab omni ſuffocatione, vt nullum ſit inuentum efficacius præſidiū.*

Quarum pilularum formulam hic notandam duxi.

Rec.	*Sileris montani*	
	Rubeę tinctorum	
	Pulegij	*an. drach. vi.*
	Calami aromatici	
	Medullę granorum pęonię	
	Muſci electi	*ſcr. iii.*
	Spicę nardi	*dr.* I.

Cum

Cùm ſucco Artimiſię, ſecundum artis dogma fieri debet maſſa pilularum, quarũ doſis eſt à ſcr. ii. ad ſcr. iii. abſtinendo tamen æſtiuis, calidiſque temporibus, & in affectu à biliosis humoribus procreato. Iuuat maximè in omni inueterata ſuffocatione à menſibus retentis, & à ſeminis vitio. Aſsumptis pilolis, dandum eſt apozema ex decoctione artemiſię, & menthę ſiccę cum vino odorato.

Quapropter Magni Hyppocratis, & Augenii authoritate motus (ſicuti ſuperiùs dixi) per os in ſuffocatione matricis, fęlici cum ſucceſſu, non ſolum tuam imperialem confectionem (Cariſſime Compater) completam cum muſco, & ambra, verum etiam (occaſione pręſtita) experimentum ſupradictum Augenii, eiuſdemque pilulas cum muſco, nec non aliquando trageas cum diagalanga, ac muſco confectas longo temporis curſu exhibui, neque ex iis nocumentum vllum, ſed ſemper iuuamentum ſubſequutum eſt, ad laudem omnipotentis Dei.

Neque rationabiliter quis inferre poſſet ex iis nocumentum vllum, ac damnum ſubſequi poſſe; Eapropter ſi præfata maior Medicorum pars annotationem facultatum confectionis Diambrę completę, in qua plurima quantitate ingrediat muſcus, & ambra in lib. nuper à te edito tuarum obſeruationum, & à me ſuperiùs citato folio 57. ipſam Diambram confectionem ſummopere valere aduerſus paſſiones matricis mulierum animaduertiſset, Imperialem confectionem in iiſdem matricis paſsionibus profecto minimè

mè improbaſſet? At quoniam ne ſermo meus vlteriùs procedat, & ne tędio te afficiam, calamum temperabo, & finem imponam, & interim pro tua ſalute, ac incolumnitate DEVM Opt. Max. deprecabor.

Vale, iterumque Vale.

Feltrię die 12. *Septembris* 1627.

IL FINE.